

## Fundationsurkunde der Kapelle zu Bodelschwingh (5. Febr. 1322).

Mitgeteilt von Pfr. Stenger, Mengede.

In nomine Domini. Amen.

Universis et singulis Christi fidelibus presentes litteras visuris et audituris innotescat, quod de beneplacito et autoritate reverendi in Christo patris et domini Henrici sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopi necnon de consensu et expressa voluntate venerabilis viri domini Conradi prepositi et totius conventus . . . monasterii sancte Marie in Scheyda et discreti viri Macharii tunc temporis ecclesie in Menghede pastoris ordinis Premonstratensis providus et honestus vir dominus Gyselbertus dictus Speke miles pio motus desiderio in remedium anime sue et animarum omnium parentum et successorum suorum capellam quandam in fundo suo in villa Bodelswincge, infra limites parochie Mencgede, in honorem gloriose virginis Marie matris Christi propriis sumptibus fundavit, construxit et erexit et cum una area et octo cum redditibus infra scriptis, videlicet duodecim mensuris hordei dandis annuatim de duodecim mansis in dicta villa sitis et hoc de voluntate expressa omnium heredum mansorum predictorum et uno manso sito in Torcberge cum omnibus suis juribus, utilitatibus et proventibus et duarum marcarum redditibus dotavit liberaliter et devote, ita videlicet quod ius patronatus dicte capelle sicut et ecclesie infra cuius limites locata est pertineat et pertinere beat perpetue ad prepositum . . . qui pro tempore fuerit ecclesie Scheydensis, quid ad voluntatem et desiderium dicti militis et suorum heredum ac successorum unum de conventu suo sacerdotem idoneum in villa Bodelswinghe moraturum dicte capelle presentabit

ad officiandum eam omnibus et singulis anni diebus cum una missa devote ibidem celebranda dolo tamen et fraudibus penitus exclusis. Et si fortassis sacerdos ad dictam capellam ita presentatus prefato militi vel suis heredibus esset vel in posterum fieret inconveniens et minus aptus, ex tunc prepositus ecclesie Scheydensis predicte alium presbiterum de conventu suo idoneum ad dicte capelle regimen destinabit, quicunque autem presbiterorum sepe dicto militi et suis heredibus ac successionibus conveniens fuerit et habilis illum dictus prepositus a prefata capella non amovebit, preterea omnes homines in villa Bodelswinge residentes in festo Nativitatis domini, Pasche, Penthecostes et in tribus commemorationibus animarum matrem ecclesiam in Menghede pleno pure visitabunt, aliis vero festivitatibus et diebus anni dictam ecclesiam adire non sunt astricti.

Item in tribus summis festivitatibus prenarratis rector capelle predicte unice persone tantum de qualibet domo dicte ville in Bodelswinge poterit sacramentum eucharistie ministrare, sed in arbitrio et voluntate dicti militis et suorum heredum ac successorum et familie stabit perpetue utrum velint in Mencgede vel in Bodelswinge confiteri, communicare et sepeliri, sed ubicunque de dictis duobus locis sepeliantur, plebanus in Mencgede et dicte capelle rector oblationes de missis funerum presentium equaliter dividere tenebuntur quicquid etiam ab hominibus viventibus domus seu mansionis pretacti militis in Bodelswinge oblatum fuerit preter oblationes funerum supradictas, illud rector capelle in usus suos tollet totaliter et habebit. Sed id quod ab aliis hominibus extra dictam curiam et mansionem militariam in prefata capella sacrificatum fuerit, eiusdem capelle minister pastori in Mencgede plenarie presentabit salvo semper jure matricis ecclesie predicte in omnibus et singulis aliis, que notoria sunt et manifesta, salvis etiam in perpetuum universis et singulis articulis et condicionibus capelle supradictis. Ut autem predicta omnia firma maneant et inconvulsa, prepositus et conventus . . . ecclesie Scheydensis supradicte et Macharius tunc temporis plebanus in Mencgede ex parte una, Gyselbertus Speke

miles predictus et Ernestus filius suus ex parte altera sigillum nobilis viri Engelberti comitis de Marcha cum sigillis propriis inpetrarunt presentibus litteris applicare. Et nos Engelbertus comes de Marcha ad instanciam precum omnium predictorum, quorum interest pro maiori et ampliori evidencia et ratificatione omnium articulorum prescriptorum sigillum nostrum appendi jussimus huic scripto. Nos quoque prepositus et conventus ecclesie Scheydensis repedicte una cum plebano in Mencgede nostri ordinis sub sigillis nostris presentibus appensis premissa omnia ratificantes approbamus et confirmamus volentes ea ab omnibus successoribus nostris in perpetuum inviolabiliter observari. Et nos Gyselbertus et Ernestus pater et filius supradicti sub sigillis predictis una cum sigillis nostris ad petitionem nostram presentibus appensis recognoscimus cum omnibus heredibus nostris omnia premissa vera esse. Actum et datum sexta post festum quod dicitur Purificatio beate Marie virginis. Anno dominiae incarnationis M<sup>CCCXXII</sup> anno inductionis quinto insuper supradicte capelle rector oblationes altaris in anni versario dedicationis eiusdem capelle solus totaliter obtimebit. Datum ut supra.

Originalurkunde aus dem Archiv des Hauses Bodelschwingh mit fünf unverletzten Siegeln. Die Urkunde im Staatsarchiv zu Münster, Abt. Scheda Nr. 16, ist infolge von Löchern im Pergament unvollständig und hat nur einen Siegelrest. Die hier gesperrten Stellen füllen die Lücken der Münsterschen Urkunde aus.

---